

The image shows the front cover of an antique book. The cover is decorated with a complex marbled pattern in shades of green, yellow, and black, featuring organic, cell-like shapes. A dark, diamond-shaped label is centered on the cover, containing the title and author information in gold lettering. The spine of the book, visible on the left, is bound in a dark green, textured cloth. A small, rectangular, light-colored label is affixed to the spine near the bottom.

J. J. SCHEUCHZER.

PISCIDUM QUERELAE & VINDICIAE.

1708.

~~P-5~~
337.7

Library of the Museum

OF

COMPARATIVE ZOÖLOGY,

AT HARVARD COLLEGE, CAMBRIDGE, MASS.

Founded by private subscription, in 1861.

DR. L. DE KONINCK'S LIBRARY.

No. 548.-

PISCIUM
QUERELAE
ET
VINDICIAE

Expositæ

à

Johanne Jacobo Scheuchzero
Med. D. Acad. Leopoldin. & So-
cietatum Regg. Anglicæ, ac Prus-
sicæ Membro.

TIGURI.
Sumtibus Authoris, Typis Gessnerianis.
M D C C VIII.

PISCUM
QUERELAE
ET
VINDICIAE

Author's name (mirrored bleed-through)
Title (mirrored bleed-through)
Publisher information (mirrored bleed-through)

M D C C VII

VIR O ILLUSTRIS
D^N. PETRO VALKENIER
SERENISSIMÆ AC POTENTIS-
SIMÆ REIPUBLICÆ BELGICÆ

AD

SACRAM CÆSAREAM MAJESTA-
TEM SERENISS. REGEM ROMANORUM.
SACRI ROMANI IMPERII COMITIA. PLE-
ROSQUE ELECTORES QUAM
PLURIMOS
IMPERII PRINCIPES ET STATUS.

DEHINC AD

RESPUBLICAS HELVETICAS ET
RHÆTICAS

PER

VI. FERE ANNORUM LUSTRA AB-
LEGATO EXTRAORDINARIO
EXCELLENTISSIMO MERITISSIMO.
DOMINO AC MECOENATI HONORATISSIMO
PISCIUM HAS

RELIQUIAS DILUVIANAS
IN GRATITUDINIS DEBITÆ SIGNUM

CUM VOTO

LONGÆVÆ QUÆ ANIMI QUÆ COR-
PORIS PROSPERITATIS
CLIENS DEVOTUS
DICO, CONSECRO.

VIAO ILLUSTRI

D. PETRO VALKENBERG

SPREKERIJ DER ALPHANTEN

DE WED. J. VAN DER WOUDE

AD

SIGRAM OEGSTRAAT AMSTERDAM

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

REPUBLICAS HELPELIJES

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE

DE WED. J. VAN DER WOUDE



Piscium Querelæ & Vindiciæ.



Ils vivimus Sæculis, quibus in-
 vaduntur passim, & rapiuntur, vel
 vindicantur, armatâ manu jura, in
 Naturâ non minùs quàm Politiâ.
 Utrobique patiuntur Regna, ibi
 tria præcipuè, hîc plura. Minerali
 adjudicatur, quod Vegetabilis est,
 vel Animalis, ut illud longiùs extenderit terminos
 suos, quàm par est, ad periculum usque absorptionis
 reliquorum, quam quidem pœnam jam semel su-
 stinuit maxima Animantium, & Plantarum pars in
 universali illa illuvie. Defendant sua jura Quadru-
 pedes, Aves, & Insecta, ut omnium interest, proprio
 singula stare talo. Nos nunc, muta natantium tur-
 ma, querelas deponimus coram Throno veritatis, vin-
 dicaturi quod nostrum est, & injustè rapuit vel male-
 sana Philosophia, vel progressiva ad Monarchiam
 Mineralium invidia, vel temporum ipsorum injuria,
 vel ipsa de muta nostra conditione præjudicia, magno
 nostro opprobrio in Proverbium versa. Ambitio si
 quæ nobis inest, gloriosa est, nec culpanda. Non
 id vindicamus, quod nostrum est, & quâ nos gaude-
 mus actu, vitam, & motum, quæ sine omni dubio
 nos Animalium Regno accensent. Agitur de Natio-

nis nostræ gloriâ Majorum nostrorum morte partâ. Agitur de Piscibus, non ἐπεὶ τοῖς illis, seu fossilibus, ac terrenis vivis, in Terræ visceribus degentibus, quorum mentio fit apud *Plinium*, *Aristotelem*, *Theophrastum*, *Strabonem*, alios, sed de undivago genere, quod ante Diluvium vixit, & in eo submersum, alieni erroris victima fuit. Agitur de Piscium non illæsâ, quæ nobis supersit, structurâ, sed de reliquiis in strage hac Diluvianâ ita dilaceratis, ut non amplius cutis hæreat ossibus, sola sæpe squamata restet figura, rarò officula quædam, vel spinulæ supersint, sæpe sola figura Sceleti lapidibus impressa. Agitur simul de re majoris momenti, de invicto Diluvianæ universalis exundationis Testimonio, quod ex singulari DEI Providentia muta nostra gens deponet in faciem incredulorum, ad audacissimorum quorumvis Atheorum convictionem. Loquantur hi, & quàm fieri potest, altùm clament; fluat ipsius eloquii Lucretiani nectar. Elingues nos, à quibus omnis longissimè abest suada, absque ulla Procuratoris ope ad ἔχθρου θύαν usque redigemus disertissimos quosvis.

Prodeat in aciem, veluti aliorum ante signanus, ex *Piscium non aculeatorum, unicâ in dorso pinnâ præditorum*, Classe **Lucius**, præluceat aliis, voraci suo robore aciem hostium aggrediatur, ac frangat. Aperiat scenam delineatus in Tab. I. ostendat, ne quis de nomine hujus sceleti dubitet, non superficiale quantandam Piscis alicujus similitudinem, non Lineamenta duntaxat, qualia in *Eislebianis*, *Eisenacensibus*, speciatim etiam in *marmore Eystettensi*, cui *impressa figura Lucii in Besleri Fascic. rarior.* aliisque Ichtyitis reperiuntur, non solas *Lucii* Characteristicas notas, A. *Mandibulam inferiorem superiore* C. protractiorem. C. Ca-
vita-

vitatem lapidi impressam à *Mandibulæ* inferioris offe sinistro; E. *Pinnam anteriorem sinistram*; F. *dextram*. G. *Pinnam ventralem sinistram*. H. *dextram*. I. *Pinnam caudæ proximam inferiorem*; K. *superiorem*; sed insuper, ne tantillum remaneat scrupuli, D. *Labii inferioris* ipsius petrefactas reliquias; L. L. totam *spinam Dorsi*, & *costas spinosas*, è *Vertebrarum sinibus* prodeuntes, quæ non in figura duntaxat sunt, sed in substantia; Imò verò M. M. *Carnem* ipsam petrefactionis quendam gradum adeptam. Verbo, integer se, caudâ exceptâ, nativâ magnitudine, & notabili longitudine se se sitat *Lucius* cum partibus suis solidis tum ossium, tum carnis fibrosis. Ex Lapidina *Oningensi*, *Dioeceseos Constantiensis*, tali loco, & tam edito, protractus, ubi nulla unquam *Piscina*, stagnum nullum, aut lacus fuit. Prodite nunc quotquot *Archæi*, *Fabri*, & *Semidei* illius subterranei partes in vos suscipitis, & judicate ipsi, annon corpus hoc fuerit *Piscis Lucii Organicum*? Mensurate proportionem partium, rem ipsam contemplantini, non rei umbram; non *Piscis* qualem qualem effigiem à *Natura pictrice* elaboratam, sed *Pisces*, sed *Lucium*, partes hic ibi à pressiois vi contortas quidem, sed non transpositas, non caput in medio ventre, non *pinnas* omnes capiti, sed singulas *pinnas*, *costas*, *ossicula*, *vertebras*, suis locis. Quis vestrum aliam prodet hujus machinæ originem, quàm ex ovo? Quis negabit, vixisse, & adolevisse aliquando hoc corpus? Quis alium audet producere *fabrum præter DEUM*. Descendite in arenam *Mechanici* omnes, *Phalanges* formate animosi sub *Epicuro* milites, *hastas* vibrare, & jacite præ subtilitate nimia acutas, *leges* producite motus, harumque extollite testimonia. Facili negotio omnis à *Lucio* nostro frangitur armorum ve-

strorum apparatus, perfringetur acies. In fugam ecce datum ab unico Pisce integrum exercitum! Non hic fungi adinstar è Terra propullulat pinna, alibi co-
 sta, tertio loco vertebrâ, quarto caput, quinto mandibulâ; non fortuitus est harum partium concursus: sed ordinata adest compages, & talis quidem videbitur vobis ipsis, qui ex fortuito Literarum jactu Iliada Homeri componitis, & primam Lucii viventis originem ex improvîso Atomorum confluxu agnoscitis, vobis, inquam, ipsis dictabit paucula, quæ vobis restat, ratio, vixisse aliquando hanc machinam, & inundatione quâdam occubuisse. En ultimum, quod eatenus non contra nos militat, Hypotheseos vestræ, circa horum Piscium ortum, effugium. Obmutescite ex muti hujus Animantis conspectu larvati *Idearum*, nescitis ipsi qualium, in mundo, Aere, volitantium propugnatores. Thesauros novæ hujus vestræ, ex Platonica, vel Epicureana transformatæ Philosophiæ aperite, ac ostentate. Subitò ac comparuerint, evanescent colores hi emphatici. Idea Lucii quomodo, quæsumus, se se in fissuris lapidum dilatavit? Ubi locus nutritioni, & augmento idoneus? Quomodo cedit materia vel lutosa, vel lapidea, membrorum singulorum extensioni proportionatæ? Quænam Piscium actio in Fissiles lapides, quæ reactio? Ubi sufficiens extensioni Piscis sesquipedalis locus in stratis invicem ubique parallelis, & immediatè applicatis? Sufficiant hi nodi Ideistis, præstò sunt alii, si hos prius solverint. Quid autem vos nobiscum, & Lucio præsentî, *panspermia salinæ* per universum Geocosmum diffusæ ebuccinatores paucissimi? Producite omnem *Nitri* Terra cœloque dominantis Thesaurum, ostendite salia Pesci -- cornu -- cochleæ -- Denti - Lucii -- Anguillæ -- Percæ formia. Imò verò omnium forma-

rum

rum Vertumnum sub salium specie, veluti alterum Archeum, figuras omnium Animantium, & singularum, ut ne vel minima desit, partium exprimentem, fingentem, pingentem. Condonari potuisset hæc cerebrorum vestrorum ἀνομαλία, si in mediis verfaremur Ignorantiæ Scholasticæ tenebris, sed in tam clara intra Philosophiæ Thalamos admisâ luce, tot Observationum, Experimentorum, ratiociniorum, passim ad Mathematicam certitudinem redactorum, cœcutire velle, Nôctuarum est, non Hominum. Ad fidem vestram provoco, mortales, non *Quibus è meliori luto finxit præcordia Titan*, sed quibus vel mica rationis superest, annon Lucii hæ viventis olim corporis animati sint reliquiæ? an alia sit occasio, quâ pisces inter fissuras stratorum se se ingerere potuerint, quàm inundationis alicujus, vel submersionis? Fidem, inquit, vestram, Animantia ratione prædita, an in Fodinis Metallicis, & montium altissimorum stratis sepeliri potuerimus aliâ illuvie, quàm fatali illâ Hominibus, & Bestiis universali, quâ exterior Terræ globus aquis cinctus, & dissolutus, præsentem suam obtinuit structuram? Seposito omni partium studio judicate, annon Lucius hic, quem pro cœna Philosophica primo loco offerimus, jure queat nuncupari Testis authenticus omni exceptione major, Cataclysmi illius Noachici, cujus obscura quidem passim indicia prostant apud Scriptores Gentiles, Historia verò integra, & ab omni Fabulæ involucro liberata, exstat in Scriptis Vatis illius cœlesti Numine pleni, qui nobis in prædam cessisset, Pharaonis truculenti mandato undis expositus, nisi singularis DEI Providentia eum inde liberasset. Non divertat vos ab assensu Plautianum illud, *Piscis nequam nisi recens*, bonæ fidei est hic Testis, utpote qui in Catastrophe illa fuit præsens,

vetus

vetus quidem, annos quippe 4000. habens, imò plures, additis, quos ante Diluuium vixit, natus & tamen recens; Cataclysmi ἀποκρίσις; recens, quia *Vetus*, non *gulae* quidem, quod Plautus voluit, *sapiens*, non patinis sed Museis gratus hospes, mentem muto suo elogio pascens, percharus orbi curioso nuntius, volans per ora virum; quid dicam recens? Recentior ipsis, quæ nunc vivunt, ejusdem profapiæ Animantibus, id est, in carne sua, ossibus, costis & totâ figurâ durabilior. En piscem ex aqua turbida, Diluiviali cœno, limovè, imò Hominum peccatis turbatâ, nobis reliquum, ut facem accenderet resolvendæ quæstioni obscuræ! En Piscem mansuetum, qui voracitatem sibi innatam deposuit, & alios, qui sequuntur, non in prædam diripit, ut fecisset olim, sed in amicum Testimonii ejusdem admittit consortium! Magnus quidem, parvulos non tamen comedit.

Qui pote plus urget, pisces ut sæpe minutos

Magnus comest: ut aves enecat Accipiter.

Primam scenam aperuit, imò introductoriam hanc solus lufit *Lucius*: In secunda agent Pisces alii Tab. II. delineati, quisque suam personam, aliqui tamen larvati, qui quidem produnt se ut forices, ex structurâ. Licet nomina omnium nondum nobis consent. Non enim suis nuncupabimus nominibus, quàm quorum Characteres certò nobis sunt cogniti, nec iis jungemus synonyma, nisi quæ examusim sunt congrua.

Ichtyites Eislebiensis ex Comitatu Mansfeldico in secundâ hâc scenâ primum jure occupat locum. Sunt Fodinæ Æris Eislebianæ dudum variorum Piscium proventu celebres. Testimonia variorum Authorum congerere haud opus, ubi res ipsa, & quotidiana Experientia loquitur; Lapis est fissilis

lis niger, ære dives, cui impressæ persæpe sunt Piscium icones. In nostro Ichthyite (qui idem est cum eo, quem sistit *Rumph. Amboinsch. Rariteit - Kamer* p. 337. Tab. 60. G. H. vel potiùs ejus Commentator. Eislebienne enim autumo, non Indicum fossile, sub titulo *Vischsteen, of versteente Visch*; nec non cum *Mustela pisce in lapide Islebiano, in Besleri fasciculo rarior*. Forte etiam cum *Lepidote*, qui *squamas piscium variis coloribus imitatur. Plin. Hist. nat. L. XXXVII. c. 10.* Quandoquidem Islebiani pisces non splendenti nigro duntaxat, sed aureo quoque colore, à pyrite massulis bracteisve adpersis, micant. Autumo autem *Lepidotem* Plinii conferendum potiùs esse cum saxis, quibus micæ aureæ, argenteæve bractæiformes squamarum figurâ sunt interspersæ) integer adest Piscis à capite ad caudam nigro veluti vernice splensens. *ETruttarum* genere videtur, non tamen eò referre aucti fuimus, propter ventralium pinnarum absentiam. Ad sunt squamæ, & visitur subsquamosâ cute hîc ibi detractâ, interior carnis structura; Exercuerunt Mansfeldenses hi Pisces fossiles jam olim ingenium *Ans. Boethii de Boot. Hist. gemmar, & lapid. Lib. II. cap. 285.* Ubi judicat, *eo in loco, ubi reperiuntur, quondam Piscinam fuisse, eamque postea tenui terrâ obrutam, ac ab exhalationibus Metallicis condensatam, in saxum abiisse, ac Piscium corpora exhalationem Metallarem, terrâ subtiliorem magisque penetrantem, facile in se recepisse, ac cum ea aeris non solum colorem, sed etiam substantiam.* Feliciter satis, pro temporis, quo vixit, obscuritate. In *Aquis*, & *Terra* venatur Pisces, non, ut *Ideistæ*, in *Aere*. Propiùs forsan scopum tetigisset, si piscinam dixisset ab immemoriali tempore subversam, intra Terræ viscera reforptam, à sublapsu stratorum inferiorum, ubi facile potuit contingere, ut Pisces in fissilium inter-

stia delati, ibique compressi, effigies suas superficiebus Lapidum nondum plenè consolidatorum imprefserint. Sed & hujus opinionis examen linquemus Germanis, quibus situs, & conditio harum Fodinarum est perspecta. Nos alios producemus Pisces, talibus locis protractos, ubi nullo unquam tempore post Diluvium ulli fuere Lacus, Piscinæ nullæ.

Ostendit Ichthyita hic Eislebiensis exuvias, cutem externam, eique subjectam carnem; ossaturam nunc sistit Piscis Diluviani sceleton delineatum in fissili lapide Glaronensi. Difficile admodum est judicare, quisnam hic piscis, & ex quam sit familia. Videtur adesse portio pinnæ dorsalis. Cauda est bifurcata. Cæterum verò notandum, fissili huic lapidi nigro non insculptam esse Piscis figuram, sed in illo eminentem, & velut in colliculos hic ibi elevatam conspici.

Sequitur Piscis Diluviani sceleton aliud in Ardesia nigra Glaronensi delineatum, ut præcedens, ut singularum aristarum figura lapidibus sit insculpta. Nomen nec hic addere audemus propter pinnarum absentiam.

Nunc in Theatrum prodit Anguillæ Diluvianæ sceleton, in Lapide fissili nigro Glaronensi. Abest & caput, & cauda, nihilo tamen fecius, imò tantò certius, determinamus nomen, quum non profet alius bipedalis, vel tripedalis longitudinis Piscis, hujus figuræ, præter Anguillam: Est hic pedalis; Fuisse autem duplo ad minimum longiorem, judicare licet ex proportionata vertebrarum crassitie. Sesequi pedalem ferè alium ejusdem figuræ possi-

possideo infuper exeadem Lapidina. Non autem solâ longitudine acquiescimus pro statuendo nomine Anguillæ. Adfunt signa alia, imò *τεκμήρια* aristarum, seu costarum simplicium in certa à vertebra distantia articulatio cum aliis tenuioribus, quæ se se terminant tum in vertebra parvas, è quibus singulis bini prodeunt radii componentes Pinnas, hæ enim, uti notum, à cauda incipiunt, & ultra medium dorsum continuantur. Harum Pinnarum fundamentum Vertebrale exprimitur in anguilla nostra lapidea per lineas laterales spinæ dorsi utrinque Parallelas. Hic autem observandum, totam hanc Sceleti Anguillæformis ossaturam esse è superficie lapidis cum omnibus vertebrarum processibus extantem, quod *in basso rilievo* Itali vocant. Ut adeò probabile sit, esse hanc ipsam sceleti substantiam in lapidem conversam Anguillas has non, quod de Piscibus fossilibus Mansfeldensibus multi conjectant, ortum suum trahere ex Lacu quodam in Lapidinam Glaronensem subverso, præter loci ineptitudinem vel inde constat, quòd in Glaronensi Territorio nullæ hodie inveniuntur Anguillæ viventes, nisi in *Lintha* flumine à *Biltena* Pago ad *Pontem Telonii*, & *Tegularum*, *Ziegelbruk*, & inde in *Seza*, *Vesenam* usque. Cæterùm in aliis Ditionis Glaronensis aquis & reliqua *Lintha* non alii reperiuntur Pisces, præter *Truttas*, *Salmones*, *Gobios*, & *Lucios*.

Ad sinistrum & inferiorem Tabulæ angulum sistit Scelton Piscis Diluviani in Ardesia Glaronensi expressum.

Adjacet ei proximè Pisciculi etiam ignoti Diluviani figura in fissili lapide candido ex Mu-

seo Vallisneriano. Italia hunc protulit, sed loci specialis memoria excidit, nil tamen hoc derogat de testatoris, qui substantiæ propriæ carneæ ostendit reliquias, fide. Comparari cum hoc potest, & debet *Funduli piscis figura in Marmore Eystettenfi ap. Bessler Fascicul. Rar.*

In dextro ac inferiori Tabulæ angulo adest Perca Diluviana in lapide fissili Oningensi. *Percas* lapidibus impressas memorant quoque *Agricola. Lib. X. fossil. p. 371.* Locus idem huic nostro, qui *Lucio* in Tab. I. exhibitio, materia eadem; color idem, Lapidis ipsius, qui attritus Cornu olet ustum, cinereo albus, Piscis verò subflavus: Aristæ adsunt in substantia, carnis etiam supersunt fibræ. Cauda à Violenta presione correpta simul, & contorta, ut dextra pars sinistra sit ferè super imposita. Contorsionem talem membrorum non soli nos fuimus passi, sed magis adhuc *Crustacea*, & *Testacea* tum marina, tum fluviatilia, quæ supersunt: In testes vocamus *Musea*, quæ passim nunc Terrarum ex Diluvii reliquiis eriguntur, velut columna memorialis. In eodem lapide conspicitur heic *salicis folium*, quod Sculptor simul, nobis non inconsultis, expresit; non adeò invitâ pronati sumus modestiâ, ut soli in Theatro, exclusis aliis agere voluerimus muti aliâs Pisces. Imò verò non mediocri per fundimur gaudio, quod Vegetabilia Diluviana, quorum magna copia hodie è Fodinis protrahitur, Minerali Regno hætenus inscripta, hanc læsæ Majestatis injuriam ulcisci quoque sint parata, & Orbi curioso sistere duplex quasi *Herbarium antediluvianum, unum in Saxonia*, operam locante D. *Friderico Heynio*, Gothanarum Fodinarum Inspectore, alterum in Helve-

Helvetia, procurante *Acarname*, cui & obstrictos nos fatemur.

Ultimus hujus Tabulæ, & rarissimus fortè, hospes, minimus saltem magnitudine, quem in Testimonium producere possumus, & ob infantiam suam innocentissimus, est Pisciculus in Lapide Onin-
genfi, minutus adèd, ut Lynceum ferè postulet vi-
sum, nec nisi Microscopii ope in singulis corpusculi
sui partibus conspici possit; integerrimus tamen cor-
pore, & fide, utpote cui omnes aristæ in substantia
superfunt. *Ἀγαθὴ τὴν φύσιν*, ne periret minimum cor-
pore, sed virtute maximum, Diluvianæ Inundationis
monumentum, detectus, & Museo Acarnanis dona-
tus à Clarissimo Dn. *Casparo Blassio*, Lithopolitano Me-
dico expertissimo una cum fissilibus figuratis aliis.

Sumus equidem nos, qui hætenus ad probandam
originem nostram, & miseram, quam in Diluvio per-
pessi fuimus, sortem, singuli suam contulimus sym-
bolam, suffeni, ut aliorum vel auxilio, vel præsidio
non habeamus opus. Attamen veluti ex superfluo,
bina in super, quibus Tabulam secundam claudimus,
Testimonia adducimus ex aliorum Animantium Fa-
miliis. In consortium non admittimus extraneos
hos hospites, ut majus addant pondus demonstratio-
nibus nostris, non ut nobis profint, sed ut delectent,
non tam ut probent, quàm ut illustrent. Quod si
non sufficeremus nos, qui hætenus in Theatro com-
paruimus, & comparebimus porrò, proferre posse-
mus centum alios, qui apud alios Scriptores extant,
imò mille alios ex ipsis protraheremus Fodinis Metal-
licis, Lapidinis, qui jurati dicerent idem. Magna
Piscium omnis generis, præsertim fluviatilium, qui
aquas marinas dulcibus confusas ferre non pote-

rant, & limo diluviali involuti deorsum trahebantur, intra strata, quæ tunc se se formabant delati, periit copia. Dabatur quidem natare, sed in fluido semifalso, cœnoso, crasso, vitæ nostræ, quam delicatam norunt Homines, non adedè conformi, periissemus sanè omnes, qui Aquas in habitamus dulces, ii præ aliis citius, qui aquis vivimus montanis, crystallinæ pelluciditatis, levissimis, si ultra assignatum à nostro Creatore tempus prorogata fuisset, quam Homines meruerunt, & nos propter ipsos luimus innocentes, pœna: Non autem solis nobis misera hæc mortis fors obtigit; idem infortunium tulere Animantia alia, imò verò majus; Maxima periit Testaceorum & Crustaceorum pars, ut ut hæc Animantia aquis etiam sint assueta. Ex Quadrupedibus, Volatilibus, & Insectis interierunt omnia, iis exceptis, quæ singulari Conservatoris Ter Optimi & Sapientissimi Providentiâ in Arcam fuere admissa. Testis est immensa Testaceorum, quæ supersunt, in Diluviana inundatione submersorum copia, minor Crustaceorum, Quadrupedum, minima Avium, & Insectorum. Ex rara hæc volatiliū, & ἐντόμων Reliquiarum serie proferimus bina Exempla.

Ecce enim Caudæ Avis, vel Remigem pennam in Lapide fissili Oningensi conspicuam, unicum, quod hæctenus sit cognitum, ex Volucrium Regno superstes monumentum. Excipite *Gallum Gallinaceum*, cujus meminit Agric. L. X. *Foss.* p. 371. juxta Pontificis Romani *barbati*, & *triplicem coronam in capite habentis effigiem*, de cujus tamen existentia merito dubitatur, quandoquidem in Actis Publicis Eislebiensibus ne minima quidem fiat mentio, teste Cl. Dn. *Gotbofr. Mylio Memorab. Saxon. subterr.* p. 5. fieri autem debuisset Lapidis non longè post Reformationem

tionem, Anno nimirum 1539. eruti, dono dati primùm *Luthero*, postea *Francisco I. Galliarum Regi*, præsertim si, quod *Albinus* scribit p. 105. *Pontificis effigies ad fuit ornata triplici coronâ, & veste Pontificali, aureis quasi filis, & purpura contexta, os, oculos, & nares hominis, referens, in sella splendida sedens, denique dextram manum sublevans, inquam tanquam gemmam contemplanis intuebatur.*

Ex Insectorum vagini pennium seu *καλεοπτέρων* Familia adest *Scarabeus* in Lapide fissili *Onin- gensi*, perrarum quoque Reliquiarum Diluvianarum specimen.

In Tab. III. ad quam properante pede (Metaphoricam hanc locutionem condonabunt nobis apodibus mortales eadem, quâ sibi alias à nobis desumptas applicant facilitate) pergimus. In scena hac tertia sistant se primùm *Varia sceletorum Piscium formium fragmenta in Ardesia Glaronensi*. Speculum, in quo *Cassijstæ* (Epicurei scilicet illi, non cucullati derasis verticibus fratres, quos Veneramur, in eorum sæpe substantiam conversi) vident primam corporum viventium ex fortuito atomorum concursu originẽ, hic crura hominum, alibi capita, brachia, Piscium aristas, fungorum instar, ex Terra surgentia, confusaneam aristarum, pinnarum, Vertebrarum, congeriem; *multa modis multis varia ratione coorta*: Verbis utimur disertis illius Epicureismi propugnatoris *Lucretii*, cujus *Atomus* forsan post obitum in pisci formem lapidum præsentium figuram, per metasomatismum quendam, sunt transformata; serio ageremus cum homuncionibus his, si operæ foret pretium, nisi jam dudum armis omnibus forent privati, & exanimis in
Terram

Terram prostrati, derisione digniores, quàm refutatione solidâ, populo jam fabula facti. In ipso hoc speculo, si rectè oculos aperiunt, vident stultâ mente Corœbos, cerebra Helleboro egentia. Quomodo enim, quæsumus, in eadem hâc lapidea massâ ex fortuita atomorum incurvaturam aristæ formem extensione prodiit, non unica duntaxat arista, sed ejusdem figuræ plures, invicem parallelæ, prout in piscibus viventibus? Quomodo aliæ prodierunt simplices, aliæ bifurcatæ? Quomodo plures uni dorso, ejusque vertebris affixæ? Imò quomodo prodire in hac & præcedenti Tabula expressæ Percæ, Anguillæ, in prima Lucius? Qui solus omnem Epicureorum Phalangem ad ἐχεμυθίαν redigere valet. Archæi promachi deplorabunt idoli sui informatione Lapidis, quem nunc contemplandum sumsimus, errores. Ideistæ accusabunt idearum volitantium divisam confusionem, Accusent autem potius confusam φαντασμάτων suorum divisionem. Nos infortunium, quod nobis in universali illa strage contigit, simplici viâ pro concessa loquendi libertate enuntiabimus. In pulmentacea massâ Terra-aquea natabamus juxta Animantia alia, & Homines, horumque partes, Pisces integri, & à prævia saxorum, Lignorum, aliorum corporum collisione in frustra discerpti, natabant Vertebrae, natabant pinnæ, capita, caudæ, aristæ, & unâ cum terrestri materia deorsum tractæ in subsidentia illa, stratorum formatrice, vestigia sua impresserunt lapidibus, tum adhuc mollibus, lutosis. Nihil hîc difficultatis, nihil coactum, nullum mysterium.

Confusa Piscium fragmenta excipit integerrimus Capito in Lapide fissili Oningenſi, ex Museo Nob. Dn. Capitanei *Henrici Zolleri*; integerrimus,

mus, inquam, non enim adsunt solæ, eæque residuæ quoad substantiam, aristæ, sed pinnæ branchiales, ventrales, mediæ, ac ultimæ, & dorsalis, caput cum cauda, sed quoque juxta carnis quasdam reliquias, flavicanti colore à Lapide cinereo distinctas, ipsæ squamæ striatæ, uti solent esse in Capitone sive Cephalo Gessneri, qui Squalus Aldrov. nobis Schvvalen audit. Similem prorsus cum nostro Capitone Piscem in Vicentini agri Fissili Lapide impressum pingit Calceolarius Mus. p. 428.

Sequitur Sceleton Piscis Marmoris albo insculptum, quod unde habuerit donator Philosophus insignis, χαρίετατος Joh. Christophorus Sturmius, Math. & Phys. Prof. Altorfinus, non constat. Ejus videtur esse generis, quod *Dendritas* pulcherrimos exhibet in Lapidina *Solnhof*, Comitatus *Pappenheimensis*. Latet autem nos, cujusnam sit familiæ hic Piscis in arcum curvatus.

Præcipua felicitatis pars est, juxta veriverbium, ut quod sis, esse velis. Pisces sumus, qui hætenus in Theatro comparuimus actores, & pro Piscibus agnoscimus. Non aliena nostri juris facimus, vindicantes jura propria, ne alienæ subjiciamur libidini. Afferuimus hætenus, & Animantium natatiliū Regno restituiimus, restituemusque porrò, integra corpora. Nunc à toto deveniemus ad partes, quæ tamen non postulant profusam verborum seriem. Eandem administrabunt æqui rerum judices justitiam in eadem, quæ partes concernit controversia, quam concedunt corporibus integris.

Dimicatum diu est inter Lithophilos, utrum *Glo-*

C

sopetra

Sopetra Profapiae sint mineralis, vel animalis? *Deficiente Lunâ caelo decidere* memoravit *Plinius Hist. Nat. Lib. XXXVII. c. 10.* Ast non magis fidem invenit hæc à caelo origo, quàm meretur Formarum è caelo deductio in Philosophia Aristotelico Scholastica, vel Influxuum commendata adeò apud Astromantas ab uno mundi extremo ad alterum tractio violenta. Professâ lite inter se depugnârunt ab una parte *Andr. Cæsalpinus, Poterius, Fab. Columna, Nic. Steno, Casp. Bartholinus, Paulus Boccone,* ab altera *Conr. Gessnerus, B. à Boot, Rob: Hookius, Ambrosinus, Job. Reiskius,* qui in sua *de Glossopetris Luneburgensibus Commentatione* totum formationis horum Lapidum negotium refert ad principium quoddam *γλωσσοπετροειδές,* vel, si hoc non arri-deat vocabulum, *γλωσσοπετρόμορφον,* utrumque licet, modò caveatis, ne ad oppositam *de animalium parte Hypothesin* relabamini. Libri integri pro & contra in auram projecti communem subierunt aleam, patienter sustulimus injurias nobis, & speciatim illustri Piscium cartilagineorum longorum familiae illatas, quamdiu dubio Marte fuit pugnatum. Nunc autem quoniam fugæ dederunt terga hostes, & veritas in numeris observationibus in lucem protracta nativo fulgore radiat, triumphum canimus, atque Trophæa Mineralibus erepta erigimus, publicè de clarantes, esse *Glossopetras* ipsos *Carchariarum,* aliorumve Piscium, qui in Diluvio periêre, Dentes fossiles, suadentes iis, qui in fugam acti veritati palmam tradere recusant, ne Oceano se committant, ubi non deglutiendi tantùm, ut *Jonas,* sed devorandi à Carnivoris *Carchariis* dignas pertinaciæ suæ luerent pœnas. Non vacat nunc, integram texere *Glossopetrarum* Historiam, imò ne quidem argumentorum ponderare momenta, quæ ut cognita præsupponimus, atque in Tabula hac III.

Glossopetras duntaxat aliquas Speciminum loco sistimus. Ante autem, quam recensio- ni nos accingimus, Vindiciis secundum libertatem datis utemur, querelas deposituri contra falsatores nominum, qui *Glossopetræ* induerunt vocabulum ex inscitia potius, quam vel invidia, vel nocendi nobis studio. Quid quæso *Linguis* cum *Dentibus* commune, præter viciniam, & mutuam in masticatione, & loquela operam? Quæ, quæsumus, dentium horum cum linguis, vel avium, vel serpentum conformitas, ut per tot Saeculorum inde à Plinii ætate ad nostra tempora decursum, non alio venerimus nomine, quam *Glossopetrum*, *Glottidum*, *Steinziinglein*, *Natterziinglein*, *Ophio- glossorum*?

*Glossopetra an mutus lapis est, an lingua loquelæ
Expers. an vocem reddere Petra potest?
Vix Credo.*

Ita non sine dentibus ludimus cum Venerabili *Reiskio*. Majori jure nostrâ ætate uteremur *καρχα- ποδόντος* vocabulo, nisi in desuetudinem, ut plura alia eruditionis solidæ subsidia, abiret Græcæ Linguæ cultura, & tantum non terrorem illiteratis incuteret nova hæc *ὀνοματοποιία*, quine *Ichthyodontis* Latio ferè donatum nomen ferre queunt. Ad rem. Siftit se in præ- senti Tabula

Dens *Carchariæ* maximus ferratus *Meliten- sis*. *Glossopetra* eburnea perrara maxima *Meliten- sium*. *Luid. Lith. Britt. n. 1257.*

Maximum dum nuncupamus hunc Dentem, non excludimus à Synonymorum classe minores ejusdem formæ, *Glossopetram Lunenburgensem* majorem *Reiskii*. *Glossopetram candidam*, & ab utroque latere *ferratam*,

Kentmann. Nomenclat. fossil. 31. Glossopetram majorem; Ein grosse Steinzung. Wagner. Hist. Nat. Hel. 309. Glossopetram dentatis aut serratis marginibus. Geffn. Fig. Lap. 163. Nec dubium nobis movet ullum coloris varietas, prout enim in solo fuere depositi, colorati eruuntur; ex insula Melita omnes ferè sunt eburneinatoris, candidi, vel subflavi: Helvetici, Luneburgenses, & Anglici anthracini nitoris, gangrænam passi.

Dens Piscis maximus orâ non ferratâ Carolinensis; an Carchariæ sit asserere non audemus, sed hoc quidem, quòd idem sit Dens hic fossilis ex Carolina Americæ advectus, Cl. D. Jacobi Petiver Pharmacopei Londinensis donum, cum *Glossopetra maxima cuneata Cantianorum, sive anthracina lævi quatuor unciarum longitudine, mucrone obtuso.* Luid. n. 1259. Carchariæ dentem non esse suspicamur inde, quoniam huic Piscis omnes sunt ferrati.

Dens Piscis triangularis in acumen desinens Luneburgensis; nec hunc determinare, cujusnam sit Piscis, præsumimus, monentes Historiæ Naturalis modernæ, speciatim marinæ, cultores, ut Familiæ nostræ quoad genera, species, & partes singulas describendæ majorem, quàm hætenus, navent operam, velut Reliquiæ Diluvianæ, quæ ex natatilibus Animantibus in omni Terræ angulo supersunt, clariùs cognoscantur. Interim cum Dente hoc, utut *αὐτῶ*, conferri debet *Glossopetra rostrum corvini referens auriculata, sive Gracirhynchus vulgaris rectus, appendiculâ ad radicem utrinque donatus,* Crampstone Luid. n. 1260. Appendiculæ hæ, quæ auricularum speciem præbent, in censum venire non debent,

fi ejusdem sint figuræ cum toto, utpote novi tenelli-
que dentes, ex ipsâ basi renascentes.

Dens Piscis falcatus & ferratus Hilde-
sienfis. *Gracirhynchus falcatus vulgaris, cujus spe-*
cimina vel dextrorsum, vel sinistrorsum falcantur. Luid.
n. 1264. 1265.

Dens Piscis recurvus teretior Sheppeia-
nus. *Synonyma hujus sint. Glossopetra pica linguam*
referens, si ve Ornithoglossum sessile vulgare, Glossopetra
minor. Luid. n. 1266. Glossopetra minor, si ve Ophio-
glossum petracum. Lingua serpentum seu natricum. Rostra
avis. Ein klein schwarzes Naterziinglein. Wagner.
p. 310. Glossopetra Prussica cinerea Lingua pica-vis
similis. Kentmann. fossil. 31. b. Glossopetra avis alicu-
jus Merula ferè rostri superiorem partem præse ferens.
Gessner. fig. Lap. 163. C. 1. Monstrare possumus, si-
quis dubitat, de Glossopetrarum harum conformitate
cum analogis Piscium dentibus, Mandibulam Piscis
marini, nobis quoad nomen ignoti, quatuor seriebus
dentium armatam, quæ similes ita sunt huic Glossope-
trarum speciei, ut vix ovum ovo possit esse similis.

Dens Piscis tricuspis Faringdonensis.

Glossopetra tricuspis mucronata, seu nigricans subviri-
dis, Tridentula dicta, minimis adnumeranda. Luid. n.
1280. Glossopetra Acanthina radice sessili. Id. 1297. qua-
cum conferri etiam potest Glossopetra Acanthina radice
sessili crenata, si ve minimam femoralium fibulam referens,
in radice sessilis. id. n. 1278. quæ coloris, ut in nostro
quoque specimine, est aliquando straminei, seu ex
eburneo sublutei, aliquando cornei, vel atro rubentis.
Glossopetra Laet. de Lapid. p. 104. fig. 1.

Dens Piscis latiusculè mucronatus, *Megenwilensis Lapidinæ in Liberis Provinciis*. Omnis generis Glossopetras ferunt saxa hujus Lapidinæ, cinerei coloris; Hoc specimen crassiusculum est, ex convexa magis acuminis obtusi parte sinu triangulari notatum.

Dens Piscis crassiusculus in acutum mucronem terminatus *Megenvilensis*; Eiusdem coloris, ut præcedens, mucrone aliquantum recurvo: forsan referendus ad *Dentem recurvum teretiorum Sheppianum*.

Dens fossilis teres recurvus ex Agro Dobuensi. Hoc specimen, ut plura alia rariora fossilia figurata, prodit ex locupletissima Pinacotheca viri Celeberrimi, de progressu Historiæ Naturalis meritissimi, *Dn. Job. Woodwardi* è Societate Regia Anglica, Physicæ in collegio Greshamensi Professoris.

Reliqua hujus Tabulæ fossilia, si non omnia, ad Piscium spectant Familiam, uti de plerisque non vana obtinet conjectura, ejus tamen sunt raritatis, quæ omninò meretur & describi, & sculpi, & orbis curiosi examini submitti.

Ex copioso rerum Diluvianarum suppellectili *Woodwardiano*, sistit se rara Piscis cujusdam mandibula, quam nondum ad suum genus reducere potuimus; Anthracini est nitoris, ex Angliæ fodinis tracta. Eadem videtur scopula littoralis anthracina, si-ve *Xylosteon nigrum* è minoribus, verriculo calceario simile, quam *Luidius* n. 1594. habet pro fossilis cujusdam Piscis palati fragmento.

Ejuus-

Ejusdem Musei incola fuit Ossis fossilis portio ex Marilandia *Americæ*, de qua, an pertineat ad *Ichtyospondylos*, seu Piscium vertebrae, an verò pars sit *Innominati* alterius Animalis *Ossis*, uti sanè cavitas videtur superesse Acetabuli *Ischii*, in dubio loquimur, ut qui non adeò elati sumus supercilii, ut nobis arrogemus, quæ alienæ subsunt Jurisdictioni, contenti nostrâ sorte, & recuperatione ejus, quod injuria temporum amisimus.

Extremæ raritatis, & in serie Reliquiarum Diluvianarum monadicæ, sunt Branchiæ Piscis cujusdam grandioris; pro talibus autem aspectamus donarium Cl. Dn. D. *Henrici Stebelini* Basiliensis, Fautoris, & Amici singularis, fragmentum *Unicornu Fossilis, Hertingæ*, in *Marchionatu Badensi*, ad decem pedum profunditatem in Terra reperti, de quo hæc duntaxat superest relatio, fuisse binos Pisces caudatenus junctos, triginta pedum in longitudine, ut singuli fuerint pedum quindecim: capita binos ferè pedes fuisse alta; Ventres viscerali materia, quæ protinus in pulverem fuerit collapsa, suffarcinatos.

Ultimo loco sese sistunt Vertebrae binæ dorsales *Humanæ* petrefactæ ex Agro *Altorffino*, *Territorii Norimbergensis*; substantiæ sunt ferè lapideæ, atro splendore nitentes, quæ fibrarum osserarum structuram pulchrè exhibet, & totâ formâ, processuumque situ, vertebrae dorsi humani exactè refert. Inveni non has binas solas sed sex alias eadem cum his serie junctas, intra patibuli *Altorffini* muros, illuc aliquando ex *Λιθοφιλίας* impetu unâ cum Dn. *Langhansio* Myrtilleto Palatino, fido in excursionibus
Achate

Achate, deductus. In testes vos ipsos vocamus, quotquot vacivas Querelis nostris, & Vindiciis, præbetis aures, mortales, quorum est, ut Dominorum nostrorum, decernere, ex æquo, & bono, annonos ipsi justitiæ distributiæ simus administratores? Pro *Ichtyospondylis* depingit similes his vertebrae de Historia Naturali Norimbergensis Territorii optimè meritis Clar. D. *Job. Jac. Bajerus*. Med. Prof. Altorffinus in *Orycto graphiæ suæ Noricæ* nuperrimè editæ Tab. 17. fig. 32. Nos autem Hominis in Diluvio submersi volumus has esse reliquias, non certè ex adulationis quopiam impetu, aut judicem fallendi proposito, sed ex justitiæ amore.

Sunt equidem multi magni nominis viri, qui studio Antiquitatum Diluvianarum allecti passim ex iis Musea extruunt, Monumenta Divinæ vindictæ omni ære perenniora. Hæc inter comparemus & nos, muti & tamen disertissimi Inundationis gravissimæ testes, innocentes non minùs, ac illi occisi, quorum capitibus Cycnus Templum Patri suo, Marti, extrudere volebat, Latrocinia in Theffaliæ finibus exercens. Ex Eruditis Magnatibus, qui nos in consortium suæ conversationis, & intra Museorum suorum limina admittunt, laudandus cum primis venit Ill. atque Excell. cui hic Labor integere datus, VALKENERIUS, VIR Legationibus multis, & gravissimis innumeris negotiis feliciter summâ cum laude defunctus, cui nos ipsos submissè offerimus, veluti olim Pisces argentei aureive *Atergati* Reginæ in sacrificiis fuere oblatis, teste *Mnasea* apud *Lucianum* de *Syria Dea*. *Ἀποσπασμάτιον* Pinacothecæ Valkenerianæ, omnis generis Diluvianis Reliquiis, Testaceis, Crustaceis, Vegetabilibus. aliisque ita refertæ, ut ad se tanquam ἔλκυ-

516071 curiosos quosvis alliciat, sistit Tab. IV. in qua
occurrit primò

Lucius fossilis ex montibus Tripoli Syriæ

vicinis, Museo huic Diluviano illatus á Nob. Dn.
Cornelio de Bruyn, qui laudabili admodùm ardore
Ægyptum, Syriam, Palæstinam, aliásque Orientis
plagas peragravit, & observata sua Orbicurioso &
erudito communicavit, edito A. 1698. Delphis Itine-
rario. Piscis, de quo nunc agitur, mentio fit p. 303.
his verbis. *Eenige wyren buyten Tripolis in Syrien vind
men bo-ven op seker Gebergte Steenen, dewelke van buyten
niets vertoonen, maar als mense tegens de grond of op mal-
kanderen sryt, splyten sie van malkanderen byna gelyk de
leyen (Lapides fissiles) men vind dan daarin de gedaan-
ten van verscheyde soorten van Vischen so natuyrlyk, dat
mense niét sonder verwonderinge kan aansien. Om ook
van dese steenen met my te voerensond ik ymand met een
Esel na het gebergte, die er my een goode partye afbracht;
Waaronder ikker een vond, dewelke by geluck soedanig
was gespleeten, dat sich aan elke Zyde van de steen de helft
van de Visch vertoont, ook sluyten de stuken so net op
malkanderen, als of de steen in syn gehêel was geblee-
ven, en van alle degeene, die ik gesien hebbe, wasser geen
so schoon en perfect.* Asservat nunc repetundas has
ex Syria, ubi Atergati olim, seu Syriæ Deæ Pisces
offerebantur, allatas, veluti in signe *μνημόσυνον*
Illustris Possessor. Patet ex Relatione, Lapidibus
fissilibus inclusum fuisse hunc Lucium, duplici sche-
mate in opposito Lapide expressum. Commune hoc
est Phenome non omnibus Diluvianis, qui adhuc su-
persunt, Piscibus, Insectis & Plantis, ut in Ardesiarum
superficiebus compareant. Computruimus, quot-
quot Terræ fuimus commissi, in alimentum postea
Plantis impensi, feliciori, nescimus, an infeliciori

fato, quàm multa Testacea, quæ vi soliditatis suæ Fluidi permeantis, & putrefacientis actionem elusere. Conquassati, & inter particulas minimas saxorum dispersi, quotquot luto arenoso postea lapidefacto immersi, ut nullum amplius in mediis saxis restet vestigium, nec, si restaret, inveniri faciliè posset. Soli remanissimus in fissuras stratorum delati, iisque tum adhuc mollioribus impressi, καὶ ἀγαθῇ μὲντύχη, ut testari possemus mortui superstites, in tumulis faxeis veluti conditi, de mutatione, omnium, quas Globus terraqueus sustulit, maxima, Hominibus Animantibusque exitiali, de formatione crustæ Terræ superioris. Quid enim? Annon digitis monstrant stratorum lineæ subsidientiam materiæ? saxis juxta Leges gravitatis inclusa heterogenea Testacea & crustacea, subsidientiam, in maximâ confusione rerum, ordinatam? annon stratorum fissuræ fracturam? situs inclinatus parallelus contractionem & disruptionem? Ast non vacat, materiam hancce ex condigno tractare. Vindicias secundum libertatem datas non extendemus ultrâ quàm par est. Καφά sumus πρόσωπα, quibus loquendi vis aliqua concessa, stat autem nobis sententia, non vagari extra oleas, καὶ μηδὲν λέγειν ἔξω τῆς πράγματος. Fontes veritatis, unde apologiam nostram depromimus, indicamus duntaxat, non explicamus. Non tam Tyronibus scribimus, & abecedariis, quàm Historiæ Naturalis peritis, & quibus Naturæ vires, Legesque jam sunt cognitæ.

Sequitur Albula Diluviana ex Landgraviatu Hassiæ, in Fissili Lapide nigro.

Rhombus Diluvianus major ex Landgraviatu Hassiæ, in Lapide fissili metallico

Francobergæ, ut putamus, erutus hic piscis, ibi enim Ichtyitas reperiri scribit *Valentinus Prodr. Histor. Nat. Hassiæ* p. 17. *Rhombus* hic, uti & sequens, omninò ad *Rhombum*, ad rem præsentem, ad originem nostram, & Diluvii illustrationem, plurimùm quadrat; Ex figura hujus Piscis, & residuis pinnis utique judicare licet, veluti ἐκ τῶν ὀνύχων λέοντα γινώσκειν, ita *Pisces* aliquem *planum spinosum* eorum, qui *inlatus projecti nantant*, & ex figura rhomboidali *Rhombum*, speciatim ex collatione figuræ, quæ extat in Ill. *Willoughbii Ichtyologia* Tab. F. 2. *Rhombum maximum asperum non squamosum*, qui *Anglis Meridionalibus* dicitur à *Turbot*, septentrionalibus à *Bret*, idemque forte est cum *Rhombu aculeato Rondeletii Gessn.* 778. *Aldrov.* Lib. II. cap. 48. qui *Venetis Rhombo* dicitur. Sed quomodo Piscis hic Oceani Anglici, Germanici, & Mediterranei Maris incola, in Montes Hassiæ ex Patria in alienas Terras fuit ejectus, non exilio duntaxat, sed ad metalla, imò mortem damnatus, qua quæsumus, occasione, nisi illâ, quam prætendimus, Illuviei universalis? Faceffant hinc, imò procul faceffant omnes aliæ, quæ passim jaçantur, de Terrigenitate (patiantur Barbariem vocabuli, qui sanæ rationi absurda obtrudunt) Hypotheses.

Minor priori ratione molis, non vis demonstrativæ est *Rhombus minor Diluvianus* in *Lapide fissili Landgraviatus Hassiæ*, eodem haud dubiè cum priori loco effossus, quò filius forte genitorem Magnetismo velut naturali fuit secutus, iisdem cum hoc stratis sepultus, perenne, siquidem filius *Rhombi* sit, nec *Passer*, amoris filialis monumentum, imò & originis Animalis authenticus testis, non solùm intuitu figuræ totius, & Pinnarum, sed speciatim *lineæ*

lateralis, quæ in Rhombis & Passeribus à superiore
branchiarum angulo ducta primò in arcum curvatur, de-
inde recta ad caudam per media latera tendit. Addimus
cutim dorfi, quæ in Rhombo aculeato Rondeletii lineis im-
pressis parallelo ductu latum trajicientibus, eodem fere
modo dividitur, quo pelles serpentum.

Tabulæ præsentis ultimi in consortium à nobis
 haud ægrè admissi hospites, ex alia Regni Animalis
 in Diluviana strage submersi Provincia Museo *Val-*
keneriano illati egregio sunt, ut ornamento, ita & no-
 bis in præsentem cum Ideistis & Archæistis pugna au-
 xilio. Soli quidem nos hostibus in fugam dandis
 pares nos reputamus, & adhuc in Tabula sequenti
ἀποκειμένους habemus *ἰχθύας*, non tamen auxiliares, quæ
 sponte se nobis offerunt, spernimus aut rejicimus co-
 pias, tantò libentius verò, quòd fortes hi, unus ex
 crustaceorum genere, alter ex Quadrupedum ovipar-
 orum, quæ caudam habent in longum productam,
 familia, milites adeò rari sint, ut ne turmam quidem,
 nedum Exercitum, constituere ipsi queant, proin, ubi
 ad arma ventum fuerit, non soli dimicant, quum ne
 Hercules quidem contra duos, sed aliis copiis sese
 sponte immiscent.

Sunt crustacei generis *λείψανα* non minoris Autho-
 ritatis testes, quòd rari. Non eadem hæc fors Can-
 cris & Astacis obtigit, quæ nobis Piscibus. Ad in-
 signem causæ nostræ Defensorem *Woodwardum Geograph.*
Physicæ Edit. Latin. p. 24. & causam oculis videbis ex-
 positam ita, ut manibus ipsam palpare possis verita-
 tem. Pisces, Testacea atque Crustacea leviora, rara ad-
 modum esse in respectu ad alias Conchas & Cochleas,
 quarum specifica gravitas eadem est cum Lapidibus,
 aliisque Corporibus Terrestribus; levissimis relictum
 esse in confusancæ illius pultis subsidencia locum su-
 premum,

premiū, qui omnia inferiora strata obtegit, confedisse adeo supra Terræ superficiem, ibique injuriis Aeris, aliorumque Elementorum, exposita post aliquot Sæculorum decursum concidisse profus in pulverem. Auxilio nobis fuit rapidus, quo gaudemus in Elemento nostro motus, sed & mortis causa. In tanta Aquæ angustia, vitæ periculo momentaneo, factò opus erat, non consilio: natârunt aliqui sursum, Aquam hausturi leviolem, sed hi Arborum truncis, Animantium solidis obstaculis collisi vitam finire mox, atque natantum hospitem se commiserè turmæ: alii quò plus deorsum tendebant, eò profundius sese immergebant sedimento graviori, charybdin evaturi inciderunt in scyllam, hi ipsi verò nobile sibi aperuere sepulchrum inter Marmorum, Lapidumve fissilium strata, unde adhuc eruuntur. Qui catastrophën illam evasere, mediam tenuere viam beati, nec hic tamen securi, si longius se se protraxisset Diluvianæ Inundationis mora.

Μαλακόστρακα nullum fere habent respectu nostri velocitatis gradum, imò sæpe retrogradum motum, in proverbium apud mortales ducta. Hinc, & ob levitatem sibi congenitam, supernatârunt penè omnia, paucissimis exceptis, quibus gravior adhæsit & viscida molès terrea, quæ illa secum deorsum traxit ad certam, gravitati hujus compositi congruam, profunditatem. Hujus generis est *Pagurus lapideus*. *Steininer Meerkrebs, oder Taschenkrebs, Gessner Fig. Lapid. 167* cujus synonyma sunt: *Cancer lapidescens, Steenkrabbe Rumph. Amboinsch. Rarit. Kamer. p. 335. Tab. 60. N. 3. Crangejo de Pedra, Portugallis, apud eundem. Pagurus Venetus, Granciporro dictus, lapideus Calceolar Mus. p. 429.* Occasionem dedere *Can-*

cri ac serpentes petrefacti peculiari Differtationi Epistolicæ, exaratae à perraræ Eruditionis viro *Job. Daniele Majore ad Philippum Jacobum Sachs à Lewenheimb.* quæ *Jenæ* prodiit A. 1664. 8. Nil proin novi erit, si & nos in præsentî Discursu *querelas nostras exponimus, si- mulque vindicias.*

Extremæ raritatis est *Lacerta Diluviana in fissili Lapide ex sylva Hercynia:* Vulgarem refert minimè vulgatum *λειψανον.* Nullam, persuasi scribimus, veritati injuriam inferimus, si enuntiemus, non alias prostare in Museis Europæis *Lacertarum reliquias, præter hoc insigne Monumentum. & Spenerianum Tabula V. nunc memorandum.*

Occurrit in instructissima Rerum Naturalium collectione, quam possidet Cl. D. *Maximilianus Spenerus,* Medicus Sereniss. Borussorum Regis Aulicus, insignis Authoris Amicus, *Lacerta Crocodilus dicta Fissili Lapidi impressa, cujus Descriptioni nos non immorabimur, ablegantēs λειψανοφίλος ad primum Actorum Societatis Regiæ Scientiarum Prussicæ Tomum, in quo comparebit haud dubiè egregium hoc Diluvianæ Inundationis monumentum plenariò descriptum, ac nativâ magnitudine suâ, quam contractam nos damus, delineatum.* Ita saltem auguramur.

Attendant, penes quos stat judicium, mortales ex hac, quam *Lacertæ* aliisque aliorum generum Reliquiis Diluvianis concedimus lubentes, in Quintâ hac Tabulâ, *πρωτοκαθεδρία,* quamve nos ambire & occupare possemus, ignotum nobis esse & inusitatum Superbiæ ac Invidiæ vitium, quod Homines adeò ve-

at, nec aliud a nobis proponi, & urgeri quam Veritatis studium, quod per tot Secula vidimus in Democriti puteo demersum, nunc autem in tantâ Scientiarum luce emergit. Lacertæ jungemus alia, scenam hanc quintam trigâ Piscium postea clausuri.

Ex univalvium coniformium marinorum classe sistunt se Entalium fossile maximum, medium, & minus, *Hoornslangeties* dicta Belgis, ex Italicâ Terrâ eruta.

Tubulus fossilis marinus crassior & productior, Belgarum videtur Zandpyp, & *Offedarm* apud *Rumphii* Commentatorem *Amboin.* p. 126. Tab XLI. D. Niveæ est albedinis, ex *Italia* quoque allatus.

Ex Familia Cochlearum Turbinatarum, quarum apertura in rimam formatur, quorumve spiræ intus latent, Veneris Concha Lapidea, cujus locus natalis nos equidem latet.

Condonabunt Lithophili, si in consortium Tabulæ quintæ trahamus vegetabile marinum, vel, si maluut, Lithophyton ex remotis Maribus in medias Terras Europæas non aliâ certè quàm Diluvii occasione delatum, ex semilapideâ substantia, in saxeam prorsus commutatum. Condonabunt, inquam, nobis Aquarum incolis, si Aquarum producta à præsentî Tractatione non excludimus. Idem Lapidibus his Vegetabilibus est Elementum, ac nobis, alimentum idem, idem locus natalis. Conferat, qui volet, Astroitam nostrum Diluvianum stellis Tubulisve majoribus in Agro Basiliensi inventum,

&

& à Clariff. D. D. *Job. Henrico Stebelino*, Medico Bafilienfi expertiffimo, Museo Scheuchzeriano illatum, cum *Astroita marino*, eo in specie, quem Oceanus Americanus, Jamaicae, & Caribbeanis Insulis, vicinus supeditat, cum figura Tubulorum singulorum integra, eorundem aggerie, striis transversis ad centrum concurrentibus, & longitudinaliis, & identitatem facile deteget. Synonyma hujus Corporis magno congeffit studio Celeberrimus, de Historia Naturali in genere, ac speciali Jamaicae meritiffimus Dn. *Hans Sloane*, Illuftri Societati Regiae à Secretis in splendido *Historiæ Naturalis Jamaicae*, quod Londini prodiit 1707. Opere Vol. I. p. 54. sunt autem fequentia: *Lapidis Astroitidis si ve stellaris primum genus B. de Boot. Lib. 2. cap. 146. Pietra stellaria di Georgio Transter. Lapillus in India è capite Draconis erutus. Marsil. Ficin. de vita coelitus comparanda Lib. 3. cap. 15. Lapis stellaris Cardan. de rer. variet. Lib. 7. Dracontis si ve Draconitias Agricol. Lib. 6. de Nat. fossil. Astroites distinctiffimè stellas æmulans Mus. Swammerd. p. 6. Astroites Gessn. de Fig. Lap. p. 35. Stellatus Lapis Aldrovand. Mus. Metall. p. 872. Fig. p. 877. 8879. Astroites or starrystones of D. Plots Natural History of Oxfordshir. p. 87. Tab. 2. fig. 6. 7. 8. & p. 130. Tab. 8. fig. 2. Millepora Imperati p. 720. si ve Astroites ligneus elegantior stellulis totam massam permeantibus Luid. Lith. Brit. p. 9. N. 160. Tab. 2. Lithostrotion si ve Basaltes minimus striatus & stellatus Ejusd. Tab. 23. An Astroitæ congener radularia Cretacea. Ejusd. p. 10. n. 176. Tab. 2? & Tab. 3. N. 98.? Asterias Cardioides major Velsch. Hecatost. p. 60. Asterias stellulis minoribus, Ejusdem. Cometites ejusdem. An Rhodites ejusdem? An Asteria confusè stellas repræsentans. Ejusd. Ibid.? Starstone. Addendi nobis videntur ex Specim. Lithograph. Hel-*

vet. p. 36. *Astroites majoribus stellis.* *Astroita tubularis majoribus stellis* Bocconi, seu Pierre Et oilée avec les Et-oiles amples, item Pierre etoilée marquée de grands pores rayonés coraloïdes. *Recherch. naturell.* p. 119. nec non *Astroites minoribus stellis; & Astroites minimis stellis Spec. Lith. Helv.* p. 39. Ludit enim variè hoc seu fossile, seu vegetabile marinum stellarum amplitudine, obliteratione, indistinctâ confusione, ut pro diversis longè agnoscat, qui rerum Naturalium non est pro è gnarus. Tempus est autem, ut contrahatur Regnum Mineralogicum quantum pote fieri pötest, imò, ut quæ hinc inde sparsa jacent Mineralium nomina idem significantia ad eundem reducantur Titulum, ad imitationem *Pinacis Baubiniani*, qui magno quidem Authoris sudore, ac Labore collectus insigni est Tyronum ac Magistrorum in Re Botanica adju-mento.

Caryophyllus Marinus fossilis prope Bononiam inventus, ex tenui umbone in latampyramidis instar, vel caryophylli hortensis surgit basin transversim, & in longum striatus, striis à peripheria ad centrum concurrentibus. Cum hoc Diluviano fossili conferri meretur *Fungus lapideus Plot Nat. Hist. of Staffordsb.* cap. V. p. 189. Tab. XII. fig. 3. & 4. Possidet Author hujus scripti Apologetici *MSC. Collectanea de Cornu Ammonis in septentrione*, exarata à Clariss. viro Dn. *Matthia Schachtio*, Scholæ Cartemundensis in Fionia Rectore, magno Literaturæ Septentrionalis luctu ante paucos Annos defuncto. In hoc Scripto depingit fossile nostrum, atque describit simul non uno loco. *Possideo*, inquit *lapidem incurvatum cingulis quasi nodosis, nec non variis foraminulis leviter incisus*

E quasi

quasi aspersum, qui cornu bircinum colore quodammodo refert, nisi quòd in medio per longitudinem sui corporis ac fabricæ veluti fissus videtur. Interior pars nonnihil cavitatis habens, striis seu incisuris in utrumque latus diductis, ac intervenientibus eminentiis medullam spinalem Piscis, vel tale quid imitatur. Alibi affert *Cornua lapidea*, quæ ejusdem mihi videntur structuræ cum nostro fossili Caryophylloideo, distinguenda probè & facitè à *Modiolo stellato Luidii*, celeberrimi illius Antiquitatum Anglicarum ruspatoris *Lithophyl. Britann.* p. 97. Seu *Caryophyllo Lapideo Wagneri* Eph. Germ. Ann. III. Dec. II. p. 370. & *Specim. Lithogr. Helv.* p. 10.

Scenam, quam aperuimus, claudimus Pisces. *Trutta Diluviana* in Marmore subflavo, ex Museo Fossilium Diluvianarum Reliquiarum instructissimo Illi atque Exc. Comitis Francisci Honorii de TRAUTTMANSDORFF, Sacræ Cæsareæ, Regiæque Caroli III. Majestatis Consilarii, & ad Helveticas Respublicas Oratoris Extraordinarii, quod Museum non ita pridem sub alio ludentis & Ideificantis Naturæ schemate, peculiari *Lapidum Figuratorum Helvetiæ ejusque viciniae Historiæ*, Orbi curioso fuit expositum à Clariss. Dn. *Carolo Nicolao Langio*, Lucernensi Medico, nobis non invitis, qui veram originis nostræ à Diluvio deductionem vel ex inspectione sola figurarum, contra indicante licet textu, confirmatum iri persuasi sumus.

Agmen Piscium Diluvianorum claudit Piscis fossilis ex Beryto Phœniciaë illatus Museo lo-

cuple-

cupletissimo Celeberrimi *Johannis Woodwardi*, Physices in Collegio Greshamensi Socii, è Societate Regia Anglica, & Collegio Medico, quem nos intuitu Hypotheseos Diluvianæ, masculè ad convictionem ipsorum Adversariorum ab ipso defensæ suspicimus, ut Angli, & cum ipsis alii Confœderati Heroem suum strenuissimum, *Johannem Ducem de Marlborough*, qui

Agmen agit magnum, magnique est agminis instar.
ex Virgil. *Aen.* 7. v. 707.

Tempus nunc est, ut Querelis, Vindiciis, & Traestationi integræ finem imponamus: hæc enim in foro, coram quo agitur causa nostra, modum Apologiæ forte jam pridem excessit ;

Ἄλλ' ἡμεῖς τὸ πάλας μὲν ἐλεύθεροι ἔυχομεθ' εἶναι. Liberè in undis vagamur quaquaversum, donec capiamur hamo, nasfis, retibus, nunc cicures manibus Hominumve Mentibus, circa quas ἀμπλακίαι ἀναρίθμητοι κρέμονται, *innumeri errores pendent, ut Pindari* verbis utamur *Ol. Z. β. 8.* successivè tamen in extrema hac Mundi senectâ unus eximitur post alterum speciatim per Experimentiam, quæ Poetæ nostro dicitur *βροτῶν ἔλεγχος*, *mortalium argumentum.* Vindiciis, quas nunc in foro humano præferimus, supersedere possemus commodè, si vel primi à Diluviana strage residui Pisces, seu mortui jacentes hic ibi in Terræ totius superficie, seu natantes in Aquis, hoc officii in se suscepissent, sed tunc vindiciis non erat locus, quia nec querelis. Primis à Diluvio Annis, Annorumve lustris recens inhæsit Diluviei fatalis memoria: Ast postquam hæc animis hominum excidit, tum sub


Regimine vario Philosophiæ Paganæ, tum præsertim in mediis illis Philosophiæ Scholasticæ Seculis, & peregrinæ passim irreperunt de origine nostra opiniones, prodire in publicum utique habuimus necesse, & quidem argumentis stipati fortioribus nunc, quàm quæ sup petiissent olim, ut sit

Λύσαι δυνατὸς ὄξειαν ἐπιμομφὰν ὁ τόκος ἀνδρῶν.

Solvere potens vehementem reprehensionem hominum

Ufura. Pindar. Ol. J. a.


F I N I S.



Lucius antediluvianus ex Lapicidina Öningensi

Dioceseos Constantiensis.

- A. Mandibula inferior. B. Superior.
- C. Cavitas Lapidi impressa à Mandibula inferioris osse sinistro.
- D. Labii inferioris petrefactae reliquia.
- E. Pinna anterior sinistra. F. dextra.
- G. Pinna ventralis sinistra. H. dextra.
- I. Pinna caudæ proxima inferior. K. superior.
- LL. tota spina Dorsi, et costæ spinosæ et vertebrarum sinibus procedentes.
- MM. Caro ipsa adhuc residua petrefactionis quendam gradu adeptæ.



Museo Scheuchzeriano hunc piscem donavit Rex S. Joh. Augustus
 Alshattius V. D. M. Capituli Lithopolitani Decanus



Schryites Escheyensis ex Comitatu Mansfeldico.



Pisces Diluviani Sceleton fissili in Lapide Glaronensi.




Scarabeus in Lapide fissili Oningeni.



Pisculus in Lapide Oningeni.



Anguilla Diluviana Sceleton in Lapide fissili nigro Glaronensi.



Pisces Diluviani Sceleton aliud in Aradesia nigra Glaronensi.



Pisces Diluviana in Lapide fissili Oningeni.



Avise Penna in Lapide fissili Oningeni.




Sceleton Pisces Diluviani in Aradesia Glaronensi.



Pisculi Diluviani figura in fissili Lapide canarido ex Museo Vallisneriano.

Omnes ex Museo Scheuchzeriano.




1820


Varia Sceletorum Pflisformium fragmenta in Ardesia Glaricensi



Branchia Pflis grandioris ex Marchionatu Badensi.



Dens Pflis tricuspidatus parvus Farinadonensis.



Dens Pflis erof. Dens Pflis latiusculi mucronatus terminatus Megens. wilenfis. Dens Pflis triangularis in acumen desinens Lunbur. genfis. Dens Pflis Carchariae maximus Melfianis.

Dens Pflis teres recurvus ex Agro Dobu(n)ensi.




Dens Pflis recurvior Slepianus.



Dens Pflis falcatus et ferratus Alde(n)sis.



Capito in Lapide Pflisli Oningenfi.



Musci Zelleriani



Dens Pflis maximus ora non serrata Caraburgis.



Vertebrae binae dorsales humanae petrefactae ex Agro Altorffino.



Musci Scheuchzeriani

Mandibula ceyusata



Pflis.




Pflis Pflis portio ex Marilandia.




Rhombus Diluvianus major ex Canagraziatu Hassia in Lapide ffsili Metallico.



Albula Diluviana ex Canagraziatu Hassia in Lapide ffsili nigro.




Lucius ffsilis ex montibus Tripoli Syria vicinis.




Rhombus minor Diluvianus in Lapide ffsili Canagraziatu Hassia.




Lacerta Diluviana in ffsili Lapide ex Sylva Hercynia.




Pagurus lapidens.



Omnes ex Museo Valenciano.





Ex Museo Prætorianoflorentino



Ex Museo Spontaneo

Piscis parvus Biluzianus ex Agro Veronensi.



Piscis fossilis ex Beruto Phœnicie.



Ex Museo Woodwardiano.

Caryophyllus maximus fossilis ex Agro Bononiensi.



Mollusca Biluziana fœllis Tubulose majoribus ex Agro Salutiensi Donum A. B. Stæbelini.

Veneris Cœcha lapidea.



Tubulus fossilis marinus crassior et productior, ex Agro Florentino.



Entalium fossilis maximum, medium, et minus ex Italia.





